

affecutus sit omnia à principio, eo tantum modo, quo & illi, qui historias Evangelicas compingere aggressi sunt ab ore *Ἀποστόλων καὶ ὑπηρετῶν τῶ λόγῳ*. An vero omnia affecutus sit à principio, ipsemet *Ἀπόστολος* à principio existens & *ὑπηρέτης*. An denique, per *Ἄνωθεν* non effatur, se cœlitus atque à supernis omnia esse affecutum. Postremum hunc sensum nos amplectimur in istum locum: utpote quòd extra omnem controversiam sit, eum cœlesti afflatu calamum dirigente ea scripsisse quæ scripsit. An verò secundus hic sit admittendus, (nam primum rejicimus penitus) scrutinio lectoris determinandum relinquimus. An scilicet Lucas inter eos fuerit, qui Christo adhæserunt à prima sua Evangelizatione.

*Ὡν ἤρξατο Ἰησοῦς ποιεῖν &c.*

Agnosimus vulgarem dialectum, cui, *Incepit facere*, idem sonat quod *Fecit*: At supponimus Phrasiologiam hoc in loco sumendam esse relativè. Ac si dixisset: In priori codice sermonem habui de omnibus, quæ Jesus ipse *incepit* facere & docere; In hoc dicturus sum de iis, quæ post eum *continuata* sunt per Apostolos.

VERS. 2. *Διὰ πνεύματος ἁγίου.*

Variè hæc disponuntur ab interpretibus.

Syrus, & Arabs unus, Bez. atque *Jeal.* hæc subjungunt post *ὅς ἐξελέξατο*, ut sensus sit, præcipiens Apostolis, quos elegerat per Spiritum Sanctum.

Arabs autem alter, ut & Vulg. Gallic. Angl. retinent ordinem verborum, quo sunt in contextu Græco. Sic interpretantes rectissimè, *Præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum: Quod & à Deo factum olim cum Prophetis, per afflatum Spiritus iis dictante, quid docerent, & concionarentur.*

Ejecerant quidem Apostoli dæmonia, & sanarant morbos per Spiritum, at dubitare licet, an aliquid *docuerant*, quod non verbatim audiverant ab ore Magistri. Promiserat ille iis, eos Legem Mosis ligaturos & soluturos, dixerat is plurima superesse iis revelanda quæ adhuc ferre non poterant, de quibus illi instruendi per afflatum Spiritus. Cùm ille ergò resurrexerat, sufflaratque iis in faciem, dicens.

cens.